



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1508. usque ad annum 1513

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1769

VD18 90118456

§. 19. Quorundam Cardinalium obitus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66433](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66433)

Sæcul. XVI.
A. C. 1508.

§. XIX.

Quorundam Cardinalium obitus.

Garimbert. hist. Card. l. 4 Aubery, Onuphr. Ugel. Raynald. hoc ann. n. 24 Ciaccon. in Jul. II. p. 257. Paris. in itin. Jul. II. MS. Arch. Vatic. p. 295. Eodem hoc anno Ecclesia Romana extinctos luxit sex Cardinales, quos inter primus erat Antonius Ferrerius Episcopus Perusinus Savonæ obscuris natalibus ortus. Is primo Recinetensi Cardinali Nobilis Scutarii obsequium præstitit, postea vero Julii II. Pontificis familiæ adscriptus, ab eodem Proto-Notarii munere, ac Pontificii Palatii Magisterio decoratus est. Nolanam, Eugubinam, & Perusinam Ecclesiam rexit, demum vero Anno salutis millesimo quingentesimo quinto in Cardinalium Collegium adoptatus est, obstantibus quibusdam Cardinalibus, quibus perversa Viri indoles magis perspecta erat. Ast Pontifex horum repugnantiam parum moratus, nihilominus eundem nominavit, etsi brevi & ipse electionis hujus poenitentia tactus fuerit; Ferrerius enim, cum Bononiensi Legatione fungeretur, incredibili tyrannide incolas divexabat, quorum plures, postquam triginta ferme aureorum millia ex iis extorserat, morti etiam addixit: Unde a Pontifice comprehendi jubebatur, atque in arce S. Angeli includebatur, in eam quoque suspicionem adductus, quod Pontificis vitæ insidias struxisset

xisset: insuper ejusdem suppellex diven-
debatur, ut Bononiensibus ablata reddi
possent. Subinde vero Papa miseratione
motus, temperato nonnihil carceris
squalore eundem in cœnobio S. Onuphrii
honestiori custodiæ mancipari jussit, con-
cessa itidem facultate, ut ad Recineten-
sem Cardinalem sese recipere valeret, ubi
etiam die decima tertia Julii præ nimio
dolore consumptus est.

Sæcul. XVI.
A.C. 1508.

§. XX.

Columnæ Cardinalis extrema.

Alter erat Joannes Columna, Martini V.
Nepos Antonii Principis Salernitani
Filius, ac Fabricii, & Prosperi Bellidu-
cum generosissimorum frater. Is die
decima quinta Maji Anno Domini mille-
simo quadringentesimo octogesimo a Six-
to IV. purpura decorabatur, verum
paulo post ab eodem Papa moto in Fer-
dinandum Neapolis Regem bello, cujus
partibus adhæserat, comprehendi jube-
batur, ubi vitæ suæ discrimen subiisset,
nisi pace conciliata, ex arce S. Angeli,
in qua plusquam integrum annum ca-
ptivus detinebatur, liber evasisset: De-
mum vero multis præclare gestis, quo-
rum suo loco mentionem ingessimus, Ro-
mæ diei vigesima sexta Septembris e vi-
ta migravit, annos natus quinquaginta

Ciacon. ib.
Gnicc. hist.
lib. 1.
Paul. Jov.
lib. 3.
Onuphr.
Aubery,
Spond.